

BOLETIN OFICIAL

DEL
OBISPADO DE OSMÁ.

Este BOLETIN se publica ordinariamente los días 15 y 30 de cada mes, pudiendo anticiparse ó retrasarse algún número, cuando las necesidades del servicio lo reclamen y así lo disponga el Prelado. La colección será objeto de Santa Visita.

La Administración del BOLETIN esta a cargo de la Secretaría de Cámara, donde se admiten suscripciones, mediante pago anticipado de 6 pesetas al año. A las fábricas se hará cada semestre el descuento estrictamente necesario.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS

ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS

PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

VENERABILIBVS FRATRIBVS

PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS

ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS

PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

(Prosequitur).

Istam tutandae unitati, de qua dicimus institutam divinitus rationem urget beatus Paulus in epistola ad

Ephesios; ubi primum monet, animorum concordiam magno studio conservandam: *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (1): cumque concordēs animi caritate esse omni ex parte non possint, nisi mentes de fide consentiant, unam apud omnes vult esse fidem: *Unus Dominus, una fides*: ac tam perfecte quidem unam, ut errandi discrimen omne prohibeat: *Ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum: in astutia ad circumventionem erroris*. Idque non ad tempus servari docet oportere, sed *donec occurramus omnes in unitatem fidei... in mensuram aetatis plenitudinis Christi*. Sed eiusmodi unitatis ubinam Iesus Christus posuit principium inchoandae, praesidium custodiendae? In eo videlicet, quod, *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi*. Quare vel inde ab ultima vetustate hanc ipsam regulam doctores Patresque et sequi consueverunt et uno ore defendere. Origenes: *Quoties autem (haeretici) canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis christianus consentit et credit, videntur dicere: ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae Dei tradiderunt nobis* (2). Irenaeus: *Agnitio vera est Apostolorum doctrina... secundum successiones episcoporum... quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima* (3). Tertulianus vero: *Constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis apostolicism atricibus et originalibus fidei conspirat,*

(1) IV, 3 et seqq.

(2) *Vetus Interpretatio Commentariorum in Matth.*, n. 46.

(3) *Contra Haereses*, lib. IV, cap. 33, n. 8.

sim? quin, seiunctus ab Ecclesia, doctrinam christianam *veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit... Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis* (1). Atque Hilarius: *Significat (Christus e navi docens) eos, qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiae typum praefet, intra quam verbum vitae positum et praedicatum hi qui extra sunt et arenae modo steriles atque inutiles adiacent, intelligere non possunt* (2). Rufinus Gregorium Nazianzenum laudat et Basilium, quod *solis divinae scripturae voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat* (3).

Quamobrem, id quod ex iis, quae dicta sunt, apparet, instituit Iesus Christus in Ecclesia *vivum, authenticum, idemque perenne magisterium*, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit: eiusque praecepta doctrinae aequae accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit. — Quoties igitur huius verbo magisterii edicitur, traditae divinitus doctrinae complexu hoc contineri vel illud, id quisque debet certo credere, verum esse: si falsum esse ullo modo posset, illud consequatur, quod aperte repugnat, erroris in homine ipsum esse auctorem Deum: *Domine, si error est, a te decepti sumus* (4). Ita omni amota dubitandi caussa, ullamne ex iis veritatibus potest cuiquam fas esse respuere, quin se det hoc ipso praecipitem in apertam haere-

(1) *De Praescrip.* cap. XXI.

(2) *Comment. in Matth.* XIII, n. 1.

(3) *Hist. Eccl.* lib. II, cap. 9.

(4) Richardus de S. Victore, *De Trin.* lib. I, cap. 2.

una complexione repudiet universam? Ea quippe est natura fidei, ut nihil tam repugnet quam ista credere, illa reiicere. Fidem enim Ecclesia profitetur esse *virtutem supernaturalem, qua, Dei adiuvante et aspirante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest* (1). Si quid igitur traditum a Deo liqueat fuisse, nec tamen creditur, nihil omnino fide divina creditur, Quod enim Iacobus Apostolus de delicto iudicat in genere morum, idem de opinionis errore in genere fidei iudicandum: *Quicumque.,. offendat.,. in uno, factus est omnium reus* (2): imo de opinionis errore, multo magis. Omnis enim violata lex minus proprie de eo dicitur qui unum peccavit, propterea quod maiestatem Dei legum latoris sprevisse, non nisi interpretanda voluntate, videri potest. Contra is, que veritatibus divinitus acceptis vel uno in capite dissentiat, verissime fidem exuit funditus, quippe qui Deum, quatenus summa veritas est et *proprium motivum fidei*, recusat vereri: *In multis mecum, in paucis non mecum: sed in his paucis, in quibus non mecum non eis prosuunt multa, in quibus mecum* (3). Ac sane merito: qui enim sumunt de doctrina christiana, quod malunt, ii iudicio suo nituntur, non fide: iidemque minime *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (4), sibimetipsis verius obtemperant, quam Deo: *Qui in Evangelio quod vultis, creditis; vultis, non creditis, vobis potius quam evangelio creditis* (5).

(1) Conc Vat. sess. III, cap. 3.

(2) II, 10.

(3) S. Augustinus, in *Psalmi LIV*, n. 19.

(4) II. Corinth. X, 5.

(5) S. Augustinus, lib. XVII. *Contra Faustum Manichaeum*, cap. 3.

Quocirca nihil Patres in Concilio Vaticano condidere novi, sed institutum divinum, veterem atque constantem Ecclesiae doctrinam, ipsamque fidei naturam sequuti sunt, cum illud decreverunt: *Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata proponuntur* (1). Itaque cum appareat, omnino in Ecclesia sua velle Deum unitatem fidei, compertumque sit cuiusmodi eam esse, et quo principio tuendam ipse iusserit, liceat Nobis, quotquot sunt qui non animum induxerint aures veritati claudere, iis Augustini verbis affari: *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiae eondere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica Sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summe profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae... Et si unaquaeque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare* (2)?

Hoc igitur sine ulla dubitatione est officium Ecclesiae, christianam doctrinam tueri eamque propagare integram atque incorruptam. Sed nequaquam in isto sunt omnia: imo ne finis quidem, cuius causa est Ecclesia instituta, officio isto concluditur. Quandoquidem, ut Iesus Christus pro salute humani generis se ipse devovit, atque huc, quae docuisset quaeque prae-

(1) Sess. III, cap. 3.

(2) *De utilitate Credendi*, cap. XVII, n. 35.

cepisset, omnia retulit, sic iussit Ecclesiam quaerere in veritate doctrinae, quo homines cum sanctos efficeret, tum salvos.—Verum tanti magnitudinem atque excellentiam propositi consequi sola fides nullo modo potest: adhiberi necesse est cum Dei cultum iustum ac pium, qui maxime sacrificio divino et sacramentorum communicatione continetur, tum etiam sanctitatem legum ac disciplinae.—Ista igitur omnia inesse in Ecclesia oportet, quippe quae Servatoris munia in aevum persequitur: religionem, quam in ea velut *incorporari* ille voluit, mortalium generi omni ex parte absolutam sola praestat: itemque ea, quae ex ordinario providentiae consilio sunt instrumenta salutis, sola suppeditat.

At vero quo modo doctrina caelestis nunquam fuit privatorum arbitrio ingeniove permisa, sed principio a Iesu tradita, deinceps ei separatim, de quo dictum est, commendata magisterio: sic etiam non singulis e populo christiano, verum delectis quibusdam data divinitus facultas est perficiendi atque administrandi divina mysteria, una cum regendi gubernandique potestate. Neque enim nisi ad Apostolos legitimosque eorum successores ea pertinent a Iesu Christo dicta: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium... baptizantes eos... Hoc facite in meam commemorationem... Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Similique ratione non nisi Apostolis, quique eis iure successissent, mandavit ut *pascerent*, hoc est cum potestate regerent universitatem christianorum, quos hoc ipso eis subesse debere atque obtemperare est consequens. Quae quidem officia apostolici muneris omnia generatim Pauli sententia complectitur: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1).

(1) I Corinth. iv, 1.

Quapropter mortales Iesus Christus, quotquot essent, et quotquot essent futuri, universos advocavit, ut ducem se eundemque servatorem sequerentur, non tantum seorsum singuli, sed etiam consociati atque invicem re animisque iuncti, ut ex multitudine populus existeret iure sociatus; fidei, finis, rerum ad finem idonearum communione unus, uni eidemque subiectus potestati. Quo ipse facto principia naturae, quae in hominibus societatem sponte gignunt, perfectionem naturae consentaneam adepturis, omnia in Ecclesia posuit, nimirum ut in ea, quotquot filii Dei esse adoptione volunt, perfectionem dignitati suae congruentem assequi et retinere ad salutem possent. Ecclesia igitur, id quod alias attigimus, dux hominibus est ad caelestia, eidemque hoc est munus assignatum a Deo ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuatur, et rem christianam libere expediteque iudicio suo administret. Quocirca Ecclesiam aut non recte norunt aut inique criminantur qui eam insimulant, velle se in civitatum rationes inferre, aut in iura potentatus invadere. Imo Deus perfecit, ut Ecclesia esset omnium societatum longe praestantissima: nam quod petit ipsa tanquam finem, tanto nobilius est quam quod ceterae petunt societates, quanto natura gratia divina, rebusque caducis immortalia sunt praestabilia bona.—Ergo Ecclesia societas est ortu *divina*: fine, rebusque fini proxime admoventibus, *supernaturalis*: quod vero coalescit hominibus, *humana* communitas est. Ideoque in sacris litteris passim videmus vocabulis societatis perfectae nuncupatam. Nominatur enim non modo *Domus Dei*, *Civitas supra montem posita*, quo convenire gentes omnes necesse est: sed etiam *Ovile*, cui praesit pastor unus, et quo recipere se oves Christi omnes debent: imo *Regnum quod suscitavit Deus*, quodque *stabit in aeternum*: denique *Corpus Christi*, *mysticum* illud quidem, sed tamen vivum apteque

compositum, multisque conflatum membris; quae membra non eundem actum habent: copulata vero inter se, gubernante ac moderante capite, continentur. Iamvero nulla hominum cogitari potest vera ac perfecta societas, quin potestate aliqua summa regatur. Debet igitur Iesus Christus magistratum Ecclesiae maximum praefecisse, cui obediens ac subiecta omnis esset christianorum multitudo. Qua de causa sicut ad unitatem Ecclesiae, quatenus est *coetus fidelium*, necessario unitas fidei requiritur, ita ad ipsius unitatem, quatenus est divinitus constituta societas, requiritur iure divino *unitas regiminis*, quae *unitatem communionis* efficit et complectitur: *Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur: scilicet in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem seu communicatione, et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput* (1). Ex quo intelligi licet, excidere homines ab Ecclesiae unitate non minus schismate, quam haeresi: *Inter haeresim et schisma hoc esse arbitrantur, quod haeresis perversum dogma habeat: schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur* (2). Quibuscum illa Ioannis Chrysostomi in eandem rem sententia concordat: *Dico et protestor, Ecclesiam scindere non minus esse malum, quam incidere in haeresim* (3). Quamobrem si nulla potest esse honesta haeresis, pari ratione schisma nullum est, quod possit iure factum videri: *Non est quicquam gravius sacrilegio schismatis... praecedendae unitatis nulla est iusta necessitas* (4).

(Prosequetur).

(1) S. Thomas, 2.^a 2.^{ae}, q. XXXIX a, 1.

(2) S. Hieronymus, *Comentar. in Epist. ad Titum*, cap. III, v. 10-11.

(3) Hom. XI. *in Epist. ad Ephes.*, n. 5.

(4) S. Augustinus, *Contra Epistolam Parmeniani*, lib. II. cap. 11, n. 25.

EPISCOPOADO ESPAÑOL

EN 30 DE AGOSTO DE 1896.

	ARZOBISPADOS Y OBISPADOS.	NOMBRES DE LOS PRELADOS.	PRECONIZACIÓN.		
			Día.	Mes.	Año.
1	Burgos.....	Excmo. Sr. D. Gregorio María Aguirre y García.....	27	Marzo.....	1895
2	Calahorra.....	Vacante.....	>	>	>
3	León.....	Excmo. Sr. D. Francisco Gomez y Salazar.....	10	Junio.....	1886
4	Osma.....	Ilmo. Sr. D. Victoriano Guisasaola y Menéndez.....	15	Junio.....	1893
5	Palencia.....	Excmo. Sr. D. Enrique Almaráz y Santos.....	19	Enero.....	1893
6	Santander.....	Excmo. Sr. D. Vicente Sanchez y Castro.....	27	Marzo.....	1884
7	Vitoria.....	Excmo. Sr. D. Ramón Fernandez Pierola y López.....	27	Septiembre...	1879
Provincia Eclesiástica de Burgos.					
8	Almería.....	Ilmo. Sr. D. Santos Zarate y Martinez.....	17	Marzo.....	1887
9	Cartagena.....	Excmo. Sr. D. Tomás Bryan y Livermore.....	10	Noviembre...	1884
10	Granada.....	Excmo. Sr. D. José Moreno y Mazón.....	20	Marzo.....	1877
11	Guadix.....	Ilmo. Sr. D. Maximino Fernandez del Rincón y Soto..	1	Julio.....	1891
12	Jaén.....	Excmo. Sr. D. Manuel María Gonzalez y Sanchez....	28	Enero.....	1886
13	Málaga.....	Ilmo. Sr. D. Juan Muñoz y Herrera.....	26	Junio.....	1890
Provincia Eclesiástica de Granada.					

ARZOBISPADOS Y CBISPADOS.		NOMBRES DE LOS PRELADOS.		PRECONIZACIÓN.	
				Día.	Mes. y Año.
14	Cebú.....	Ilmo. Sr. D. Martín García y Alcocer.....	7	Junio.....	1886
15	Jaro.....	Ilmo. Sr. D. Leandro Arrue.....	27	Marzo.....	1885
16	Manila.....	Excmo. Sr. D. Bernardino Nozaleda y de Villa.....	27	Mayo.....	1889
17	Nueva Cáceres...	Ilmo. Sr. D. Arsenio del Campo y Monasterio.....	25	Noviembre...	1887
18	Nueva Segovia..	Ilmo. Sr. D. José Heviá y Campomanes.....	27	Mayo.....	1889
Provincia Eclesiástica de Manila.					
Provincia Eclesiástica de Santiago de Compostela.					
19	Lugo.....	Ilmo. Sr. D. Benito Murua y López.....	21	Mayo.....	1894
20	Mondoñedo.....	Ilmo. Sr. D. Manuel Fernandez y Castro.....	30	Diciembre...	1889
21	Orense.....	Ilmo. Sr. D. Pascual Carrascosa y Gabaldón.....	2	Diciembre...	1895
22	Oviedo.....	Excmo. Sr. D. Ramón Martínez y Vigil.....	27	Marzo.....	1884
23	Santiago.....	Excmo. Sr. D. José M. ^a Martín de Herrera y de la Iglesia	5	Julio.....	1875
24	Tuy.....	Ilmo. Sr. D. Valeriano Menendez y Conde.....	15	Septiembre...	1877
Provincia Eclesiástica de Santiago de Cuba.					
25	Habana.....	Excmo. Sr. D. Manuel Santander y Frutos.....	17	Marzo.....	1887
26	Puerto Rico.....	Ilmo. Sr. D. Toribia Minquella.....	21	Mayo.....	1894
27	Santiago de Cuba.	Excmo. Sr. D. Francisco Saenz de Urturi y Crespo...	1	Junio.....	1891

ARZOBISPADOS Y OBISPADOS.		PRECONIZACIÓN		
		Día.	Mes.	Año.
Provincia Eclesiástica de Sevilla.				
28	Badajoz.....	25	Noviembre...	1887
29	Cádiz.....	5	Junio.....	1875
30	Canarias.....	1	Junio.....	1891
31	Córdoba.....	17	Septiembre...	1875
32	Sevilla.....	16	Diciembre....	1880
33	Tenerife.....	21	Mayo.....	1894
Provincia Eclesiástica de Tarragona.				
34	Barcelona.....	28	Febrero.....	1879
35	Gerona.....	31	Diciembre....	1877
36	Lérida.....	30	Diciembre....	1889
37	Solsona.....	15	Julio.....	1895
38	Tarragona.....	23	Septiembre...	1875
39	Tortosa.....	21	Septiembre...	1874
40	Urgel.....	28	Febrero.....	1879
41	Vich.....	27	Marzo.....	1882

ARZOBISPADOS Y OBISPADOS.	NOMBRES DE LOS PRELADOS.	PRECONIZACIÓN.		
		Día.	Mes.	Año.
42	Coria.....	21	Mayo.....	1894
43	Cuenca.....	1	Julio.....	1891
44	Madrid-Alcalá...	10	Junio.....	1886
45	Palencia.....	24	Septiembre...	1875
46	Sigüenza.....	25	Junio.....	1896
47	Toledo.....	22	Julio.....	1871
48	Auxiliar de Toledo	21	Mayo.....	1894
Provincia Eclesiástica de Toledo.				
	Ilmo. Sr. D. Ramón Félix y Mencheta.....			
	Ilmo. Sr. D. Pelayo González y Conde.....			
	Excmo. Sr. D. José María de Cos y Macho.....			
	Ilmo. Sr. D. Pedro Casas y Souto.....			
	Ilmo. Sr. D. José María Caparrós y López.....			
	Emmo. Sr. D. Antolín Monescillo y Viso.....			
	Ilmo. Sr. D. José Ramón Quesada y Gascón.....			
Provincia Eclesiástica de Valencia.				
49	Mallorca.....	16	Diciembre....	1880
50	Menorca.....	25	Junio.....	1896
51	Orihuela.....	10	Junio.....	1886
52	Segorve.....	16	Diciembre....	1880
53	Valencia.....	28	Enero.....	1876

ARZOBISPADOS Y OBISPADOS.	NOMBRES DE LOS PRELADOS.	PRECONIZACIÓN		
		Día.	Mes.	Año.
	Provincia Eclesiástica de Valladolid.			
54	Astorga	21	Mayo	1894
55	Avila	2	Diciembre	1895
56	Ciudad-Rodrigo	27	Marzo	1885
57	Segovia	23	Junio	1877
58	Salamanca	9	Agosto	1883
59	Valladolid	26	Marzo	1882
60	Zamora	10	Junio	1886
	Provincia Eclesiástica de Zaragoza.			
61	Barbastro	25	Junio	1896
62	Huesca	1	Junio	1888
63	Jaca	1	Junio	1891
64	Pamplona	10	Junio	1886
65	Tarazona	14	Febrero	1889
66	Teruel	26	Junio	1890
67	Zaragoza	7	Junio	1886
	Pro-Vicariato General Castrense.			
68	Ejército y Armada	11	Julio	1892

DECRETUM S. R. C.

CIRCA CELEBRATIONEM MISARUM DE REQUIE.

Aucto, postremis hisce temporibus, maxime in calendariis particularibus, Officiorum Duplicium número, quum pauci supersint per annum dies, qui Missas privatas de Requie fieri permittant, et ipsa Officia semiduplicia interdum ab aliis potioris ritus impediuntur. nonnulli ecclesiastici viri pietate, doctrina ac dignitate praestantes, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillimis enixisque precibus rogarunt, ut, ad juvamen fidelium defunctorum et ad spirituale solatium vivorum, in Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive privatis, praesertim iis, quae in sepulcretis rite erecta sunt vel erigentur, Missae lectae de Requie diebus etiam duplicibus aliquoties per annum de Apostolica Benignitate celebrari valeant. Placuit autem eidem Ssmo. Domino Nostro hujus negotii examen Sacrae Rituum Congregationi committere: quae, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus mature perpensis, attentisque hac de re etiam peculiaribus locorum circumstantiis, in Ordinario Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, ad propositam per infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum quaestionem, respondendum censuit:

«Si Sanctissimo placuerit: I. In quolibet Sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, Missas, quae inibi celebrari permittuntur, posse esse de Requie diebus non impeditis a Festo duplici 1^{ae} vel 2^{ae} classis, a Dominicis aliisque festis de praecepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegatis; item: II. quibuslibet Ecclesiis et Oratoriis cum publicis tum privatis et in Sacellis ad Seminaria, Collegia et Religiosas vel pias utriusque sexus

Communitates spectantibus, Missas privatas de Re-
quie, praesente, insepulto, vel etiam sepulto non
ultra biduum, cadavere, fieri posse die vel pro die
obitus aut depositionis: verum sub clausulis et con-
ditionibus, quibus, juxta Rubricas et Decreta, Missa
solemnis de Requie iisdem in casibus decantatur». *Missas privatas de Requie iisdem in casibus decantatur».*
Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19
Maji 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino
Nostro Leoni Papae XIII. per meipsum infrascriptum
Cardinalem, relatione, Sanctitas Sua senten-
tiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam
habere et confirmare dignata est, die 8 Junii, eodem
anno.—CAJETANUS CAR. ALOISI MASELLA S. R. C.
Praef.—L. † S.—A. TRIPEPI S. C. R. *Secret.*

S. R. UNIV. INQUISIT.

LICET UTI BUTYRO, QUOTIES DATUR USUS ADIPIS.

In Congregatione Generali S. Romanae et Uni-
versalis Inquisitionis, habita fer. IV die 13 Maji
anno 1896, Emi. ac Rmi. DD. Cardinales Inquisi-
tores Generales sequens dubium expendendum sus-
ceperunt.

«Utrum diebus jejuniis consecratis, in quibus
Apostolica venia usus condimentorum ex adipe in-
dulgetur, butyro quoque per modum condimenti uti
liceat».

Atque omnibus sedulo perpensis, habitis etiam
prae oculis latis antea a S. Sede hac super re deci-
sionibus decreverunt: «Supplicandum SSmo. pro
gratia».

Sequenti vero fer. VI die 15 ejusdem mensis SSmus. D. N. Leo Div. Prov. PP. XIII, in audientia r. p. d. Adessori S. Off. impertita, benigne annuere dignatus est pro gratia juxta Emorum. Patrum suffragium.

JOS. MANCINI, S. R. et Univ. Inquis. Notarius.

NECROLOGÍA.

El día 19 del corriente falleció en la ciudad de Soria, á la edad de 33 años, el Presbítero D. Isidoro Celorrio Dominguez, Cura párroco de San Estéban de Cortos en el Arciprestazgo de Almajano. Era párroco del concurso de 1890 y fué ordenado de Presbítero á título de curato el 14 de Junio de 1891 por el Ilmo. y Rvmo. Sr. D. Pedro María Lagüera, Obispo que fué de esta Diócesis.

El día 21 del actual falleció en la ciudad de Zaragoza el Presbítero D. Saturnino Frías Ortega. Nació en La Mercadera, Arciprestazgo de Calatañazor, el día 29 de Noviembre de 1869: cursó y probó en este Seminario Conciliar seis años de Sagrada Teología y dos de Derecho Canónico. En 16 de Enero de 1893 fué nombrado Superior y Catedrático del Seminario y en 23 de Diciembre del mismo año fué ordenado de Presbítero por el Ilmo. y Rvmo. Sr. Dr. D. Victoriano Guisasola y Menendez, Obispo de esta Diócesis.

R. I. P.

Sumario de este número.—Encíclica de S. S. el Papa León XIII *De Unitate Ecclesiae*. Texto latino. (Continuación).—Tabla cronológica del Episcopado Español en 1896.—Decreto de la S. C. de Ritos sobre autorización de la Misa de *Requiem* en algunos días de Rito doble.—Idem de la S. R. U. I. *an liceat uti butyro, quoties datur usus adipis*.—Necrología.

Burgo de Osma.—Imp. de Francisco Jiménez.